



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. Quantitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

NVM. 6. De *Vardiais*.

APPIANO *Ardiaei*, Plinio *Vardei*, à posteris dicti *Varalij*, inquit *Strabo*, Italiae populatores dicti apud *Plinium*, magni Autariotarum hostes, quibuscum diuturna bella de sale gesserunt, & tandem eorum opima loca ad mare occuparunt, vnde tamen per Romanos expulsi sunt. Olim contra eos gessit bellum Fulvius Flaccus, sed excursionibus tantum, inquit *Appianus*. Demum à Romanis è littore depulsi, & coacti vacare agriculturæ, licèt eorum regio esset aspera, neque conueniens agricolis, sic tantum non funditus perière; ita *Strabo lib. 7*.

§. 4. De *Pannonia*.NVM. 1. *Nomen*.

NOMEN habere putat *Appianus* in Illyricis ab *Pæone*, vel *Pannonio*, filio *Autarij*, filij *Illyrij* ex *Polyphæmo* & *Galatæâ*. Sed probabilius *Dio*, qui his locis præfuit, ait dictos esse à pannis confutis more patrio, vnde sibi tunicas manuleatas conficiebant. Plerique veterum *Pæones*, cum *Pannoniis* confuderunt, & hanc vocem Latinam, illam Græcam putauerunt. Sed errorem sustulit *Dio*, afferuitque indigenas se appellare *Pannonios*; *Pæones* autem ab iis diuersos, ad *Rhodopen* partem maritimam *Macedoniæ* incoluisse.

NVM. 2. *Quantitas*.

APVD *Ptolemæum* longitudo à monte *Cecio*, ad *Taururum* stadiorum 3000. complectitur. *Latitudo* à flexu *Boreali* *Danubij* ad montem *Albanum* limitem *Illyrici* 1500. stadiis definita est.

NVM. 3. *Qualitas*.

NEMOROSAM & nullis habitam urbibus eam describit *Appianus*: Sed hinc plures excitas esse *Iornandes* ostendit: *Solinus* planam solo, lætam & vberem facit, sed id negat *Dio αὐτόπλον*, ait  
*Parall. Geogr. Tom. II.* L1